

Vc
3478





Votum devotum
HEROINÆ VIRTUTI
&

FESTO ILLUSTRUM NATALIUM
SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE
PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI
JOHANNIS GEOR-
GII DUCIS SAX. JUL. CLIV.
& MONT. SACRI ROM. IMP. ARCHI-
Mareschalli : Saxonis Septemviralis :
Cæsar. Maj. Ensiferi. &c.
DOMINI SUI CLEMENTISSIMI,
Sacratum,

Idq; Lipsiæ ex superiore Majoris Principum
Cathedrâ publicâ voce recitatum
ab ejusdem SERENITATIS Va-
sallo subjectissimo

Gottfriedt Finckelthaus/
Lips. J. U. C.

5^{to} Martij Anni 1647^{mi}.

Are Authoris & typis Seyffertinis.



Annus currens
ex ipsius ELECTORIS Nomine,
ejusdemq; Ætas, & Natalis Anni Dies
summario Voto exhibitus.

1647. Iohannes Georg I Vs, ILL V strlss- & sere-
niss IM Vs DVX saXonlæ,

1585. qVlnto Marti ter Vlgnti DVosqVe
annos nat Vs, VaLeat!



i Te,

SERENISSIME,

inter votivarum precationum acclamations, totiusq; Aulae gratantis certantia studia, per Magnatum agmen, per circumposita decora dona magno ac laetabundo animo ambulantem, ego ipsemet de incolumi Patriae Patre ovans congaudensq;, conspicarer: vix compos mei essem, quin talibus invitamentis adductus vel ultimus, si per alios non liceret, augustos tuos pedes subjectissimo osculo adorarer, quo sola hac veneratione, quid Tibi devotissimus Ego Cliens deberem, publicam censuram testatum facerem. Licet verò nunc ego, qui adhuc malae sortis meae culpam privatam inter vitam, non tamen omnino sordidam, inhonoriis, & Aularum peregrinus sum, praesentissimo Majestatis tuae aspectu arcear: precaturos tamen imitabor, qui sola mente & verenda cogitatione Divinum Numen adorant, Humanum fugientem obtutum.

Religio itaq; fuit mihi, meq; magno piaculo obstrictumputavi, si immensum hoc publicae felicitatis & festivitatis arcanum apud

A 2

me

me delitesceret, neq; compar Votum meum
Natalitium apud scabella Tua deponerem;
quod cum non verbis in coram liceat, (quis
enim tantillus ego, quem infima sua fors a
tanto Numine depellit?) hoc tamen supplice
ac devota mente concepi, illudq; insuper
functorio huic commisi stylo, licet tenui et a-
gresti: Major tamen usitata litera, quam legis
& vides, decentiam, quæ huic deest, compen-
sat, quò quatenus saltem Celsitudini Tuæ
conforme quid exhibeam.

Et quæ, rogo Hæc Tuæ Natali Luce silen-
di causa? Cum salvum hodiè cernimus Illu-
strissimum Sospitorem Patriæ, omnemq;
Domum Saxoniam, quem deceat hoc?
Nunc verò quid majus & decentius addi po-
test optatis, quæ antè annum piè emissa sunt,
nisi ut perpetuitatem impetremus salutis E-
jus, cui nostram debemus? Ut ergo nunc felici
successu vota sibi constant priora: ita Nos su-
periore Anno coeptum gaudium votis & gau-
dijs insequentibus continuamus.

Ac sanè nimis angustè Patriam & excel-
sam Virtutem Tuam æstimat, qui vota hæc
die, præsentis hæc lætitiæ non offert Tibi. Pa-
triam & excelsum, a quo Virtutem ab, a vito
Stem-

Stemmata. Pesfime utiq; de Te Tuisq; ausis
mereri videtur, eorum, signarius est, iniquus
censor & contemtor. Nihil enim: (Christia-
no II.^{do} pientis. Mem.^o Fratres Tuo, mortalita-
tem egresso, a quo tempore Elector diceba-
ris, salutis publicæ tutela in Te recepta:) nihil
temerè, nihil casibus aut fortunâ: Consilijs,
& his quidem optimè perpensis, omnia a Te
gesta esse quovis arbitrio evincam. Hanc
Patriam, repeto: Virtutem paucis dabo de-
claratam.

Ac licet nec tali Successorio jure fasces hi
tibi contigissent, omnes tamen Te, Pruden-
tissime Principum, tacito designassent præ-
judicio, in cujus potissimum, ceu Atlantis, cer-
vice hoc coelum dignè recumberet. Non du-
biosa enim fuissent suffragia, si per Vota licu-
isset. Semper Te circumstetit publica expe-
ctatio. Commune fuit augurium, Te afflictis-
simam Rempublicam divinis Imperijs alleva-
turum. At unde hoc desumptum? Ex optimis
Tuis Natalibus, Majorumq; tuorum excelsi
animi Virtutisq; documentis: quorum pro-
sapiam licet cum quibusdam ævi - scripto-
ribus ante Christum Natum referre certo non
ausimus, satis tamen constat, ab Annis plus

B

minus

minus mille rerum gestarum gloria floruisse
eam, ex illa q; Duces ac Reges magnanimos,
Justitia, Fortitudine, Sapientia valentes, or-
tos qv amplurimos. Nam qvi Bertharium
Sighardi Patrem asserunt constituuntq; (in-
dulge, Princeps, hæc in laudem & Profapia
& Virtutis Tuæ copiosius dicenti:) ultra mille
annos Regiæ dignitatis honorem extendunt
in hac Familia. Fuit qvippe Bertharius Sa-
xonix Rex, temporibus Lotharij, Franco-
rum Regis, Patris Ditberti, cum qvibus acria
gessit bella, tandemq; infelici pugna victus,
ipsiusq; Lotharij manulethali vulnere hasta
transfossus est. Sichardus autem anno a na-
ta Orbis salute, DEI Filio, sexcentesimo qva-
dragesimo secundo insigni potitus est contra
Vandalos victoria, eaq; obtinuit, ut Saxones
ex tributarijs liberi, Regumq; Francicorum
focij & Amici fierent.

Hos tantosq; antiquitatis Familiæ Tuæ or-
tus, & clarissima monumenta rimatus qvi ne-
gligit, næ ille maximorum Ducum gloriæ
malignus audit aestimator. Et o citius aut
Christiana Religio, aut bonæ literæ ad Saxo-
nes pervenissent, non ita sanè Heroum intre-
pidorum egregia facinora, exantlatiq; pro
Patri

Patria labores cæcarum oblivionum tenebris
fuiſſent obruti. At enim invidit fortiffimis
Viris iſtiq; Ævo felicitatem hanc infelix for-
tuna, quæ Græcis tamen Romanisq; uberrima
contigit.

Vixere fortes
multi, ſed omnes illachrymabiles
urgentur, ignoti; longâ
nocte: carent quia Vate ſacro.

Eximiæ inſuper Virtutis & dexteritatis ſin-
gularis ſingulare argumentum & hoc eſt,
quòd ex hac Ceſſitudinis Tuæ vetuſtâ origi-
ne non pauci numero, ſed benè multi Reges
olim electi fuerint. Annalium conditores,
& prætergreſſi temporis, præprimis rerum
Saxonicarum, Notarios curioſius mihi con-
ſulenti unâ ferè voce & ſtylo exhibent, ante
Caroli Magni tempora Saxonum Rempubli-
cam in duodecim circulos diſtinctam, & a du-
odecim Toparchis gubernatam fuiſſe, ſic ut
communibus legibus, pace tranqvilla, ſuæ
qviſq; ditioni præeſſet: Intercuſantibus for-
tè negotijs gravioribus, quæ perpenſiorem
conſiderationem poſtularent, ad Conſilium
ea referrentur, publicâq; totius Duodecim
Virorum authoritate & decretoriâ ſententiâ

interposita, quod optimum visum esset, con-
stitueretur: Bello autem exorto, ex Duode-
cimviris illis eligeretur Rex unus, cui omnes
parerent, & talis, qui animi fortitudine, pru-
dentiâ, usuq; rerum clarior, dignior, præ-
stantior haberetur. Hi Reges ferè omnes,
præsertim quando cum Francis Res fuit, Hi-
storiographis attestantibus, ex inclita Tuâ,
Septemvir, oriundi fuerunt profapia. Con-
tinuâ enim serie Bertharius, Sighardus, Die-
tericus, Edelhardus, V Vernechinus & V Vi-
techindus Magnus, omnes Saxonum Reges,
numerantur: donec tandem Carolus, Roma-
norum ex Germanis Imperator primus, illū
Duodecimvirorum senatum sustulit, Saxo-
nibusq; Duces, Comites & Palatinos consti-
tuit. Jam extra Germaniam, Hierosolymo-
rum Thessaliæq; quondam Reges ac Domi-
nos, Montis ferrati & Albingaunorum Mar-
chiones ac Duces: In Germaniâ verò Bava-
riæ, Sveviæ, & Carinthiæ Duces antiquos,
quorum Posteritas jam desit: Sabundiæ quo-
que Principes, & ipsos Gallorum Reges, qui
etiamnum florent, & renam per annos sex-
centos potiuntur, omnes ex Tuâ, Saxo, illu-
strissimâ familiâ ortum ducentes, non me-
moro.

moro: Et quid dicam maximos illos Cæ-
sares, Henricum Aucupem, & ex ipso pro-
gnatos Ottones, Henricum Sanctum, itidemque ex Henrico F. Bavariæ Du-
ce, Pronepotem, Agnatos Tuos magnos? Non
erit unquam tam ingrata impudentiæ & ne-
glectæ oblivionis Posteritas, ut non dignissi-
mâ laude exhibita ab ipsis Germaniæ, Impe-
rioq; Romano decantet beneficia. Quòd
enim à crudelissimâ Hunnorum immanitate
liberata olim Germaniâ: Quòd ab Italiâ Sa-
raceni depulsi: Quòd ad fidem Christianam
conversi Vandali: (cætera abundè suggerit
Divorum Saxonum conscripta Historia:)
quòd & hætenus ab horum successoribus Ro-
manum Imperium, (quod tranquillissimâ
Pace per centum secula diurnare faciat Coele-
stis Majestas!) defensum fuerit & conserva-
tū, Fortitudini ipsorum, Prudentiæ, & insigni
erga Patriam Charitati jure merito adscri-
bimus.

Quid verò operosius Majorum Tuorum,
Germane Heros, imaginibus inhæreo, quas
summo splendore in Te transmissas dignè ac-
ceptasti. Laudes illorum legimus, ceu ra-
dices Tuorum: Nunc Tuas intuemur veluti-

stom

C

starum

rum Flores & femina, quæ clarè in Te pa-
tent. Licet enim compluribus hoc sit
commune, summis & Avitis Majoribus natum
esse: Eorum tamen Virtutes non adeo
Posteris communes sunt. Quare Tu op-
te exemplo à seqviore Imperatoris Galbæ
opinionis censu merito divortium facio, qui
generari & nasci à Principibus fortuitum
penitus nec ultra æstimandum duxit, cum
constet ex Te, summo DEI beneficio ad Im-
perij robur excitatas esse Familias, quas ut re-
liquis mortalibus eminere voluit: Ita secre-
tissimam virtutum dispensatione ad sustinen-
dum gubernationis onus instruit. Tam
manifesta hinc Numinis auxilia in omnibus
consultis Tuis enituerunt, ut Te Majorum
Tuorum laudem & superasse & exequasse
non iniquè dicj; nec ambigi queat, ad im-
plendum Magnitudinis Tuæ orbem Genium
Tuum cum Fatis conspirasse.

Habeant igitur Magni isti Principes suas pal-
mas & adoreas: Nos quæ nostra sunt merito
agnoscimus & evehimus, bonoq; Cive &
subdito indignum putamus, Antiquitatem
inquirere & demirari: Suorum verò Ducū,
Patriæq; Patrum penitus esse immemorem.

Quid

Quid igitur in Te, Maxime Ducum, ul-
terius, quod ex Tuo Tibi ortu, ceu Virtu-
tum tramite contigit, stupemus, veremur?
Post Pietatem, quæ vā audis Pientissimus, Justi-
tia est, cuius devotus clemens observator. Et
quem sanè magis deceret illa, ac Principem?
Cum, Augustini sunt verba, Regna sine Ju-
sticiâ magna sint & impunita latrocinia. At
verò quid ista multis? Invenere, Lector, tam
benè nostri Saxonis constituta hic, aliaq;
forensia judicia: Percurre Sacratissimas E-
jus promulgatas Novellas, Ordinationes,
Provincialem, Processus Judicarij, Connu-
bialem, Sumtuariam, Monetariam, Rescrip-
ta, Decreta: Non ex Tripode sed Coelo data
dices. *M. E. T. u. i. n. v. e. r. i. t. a. t. e. m. i. n. t. e. m. i. n. t. e. m. i. n. t. e. m.*
Virtus illa, foecunda omnium Mater ac
Nutrix, duas in Te, Justissime Princeps, ad-
junctas habet comites individuo nexu: Se-
veritatem & Clementiam. Ista Te in Le-
gibus exequendis, poenisq; irrogandis vel
maximè ad decet, Tibiq; Majestatem quan-
dam præstat, auget dignitatem, redditq; in-
ter mortales quasi Divinum aliquod Numen,
quod subditi & venerantur & adorant: De-
lictorum in super frequentiam minuit, Rem-
publi-

publicam facit esse quietiorem, premitq; peccandi illecebram. Cæterum ne horridus Justitiæ rigor in sævitiam & crudelitatem protinus abeat, illum dulcissimo Clementiæ melle temperas, ut exinde, justâ censurâ, omnium cõsonantiarum concinnissima Harmonia existat: Unde subditorum favor & amor: Ex amore securitas: Ex securitate Imperij firmitas: Ex hac æterna Gloria. In hac magni, immo Divini quondam fuerunt Scipio Africanus & Antonius Pius: hac excelluit fortissimus Pericles, sapissimè gloriatus, neminem Civium unquam sui causâ pullatum incesisse. Nec injuriã. Principes enim hanc Benignitatis Virtutem vendicant sibi propriam, neq; ullã re, Tullio teste, ad Deum propius accedunt ac clementia. Scilicet ut in Eodem bonitas & misericordia quam maximè enitent: Ita Principes, qui hisce in terris Deum repræsentant, Divinæ illius Clementiæ et Placabilitatis effigiem referre debent. Eapropter, Dux optime, non extemplò ad supplicium leviter modo errantium implacabili sævitia procurris: Non gaudes poenis, nec quascunq; offensas in furoris occasionem atq; alimentum rapis: Mitis

tis, mansuetus, tractabilis es. Satis esse cen-
ses, si poena ad paucissimos, metus ad omnes
redeat. Non minus enim turpia Principi
sunt Supplicia, quam Medico funera fre-
quentiora. Regi Apum similis sit, qui reli-
quis quidem major existit & pulchrior, acu-
lei vero expers est, quo ferire possit.

Ac ne patientissima Clementia ex Virtute
sua despectum patiatur, ne huic nimiae le-
nitatis inducatur larva, justum Tibi omnino
reservasti Zelum, justus Vindex & Ultor. Ap-
prime enim nosti, Senecæ verbo, eum nocere
bonis, qui malis parcit: felicemque impro-
bitatem Optimorum esse calamitatem. Blan-
dum equidem Benignitatis palpum falso per-
suadet sibi rebellis plebs: Has tamen rigidas
& refractarias mentes non iniquus aliquan-
do dolor percutiet. Et licet necessitati pa-
rendi ad tempus ista sese subtrahat, fallaci
impunitatis spe delinita, suamque insuper ini-
quitatem nescio quo ementito Bonarum Ra-
tionum fuce colorans; justum tamen Magi-
stratus sui frenum eandem proterva mente
indignari, & scabella lectum scandere ecquis
non, nisi lippus, cernit? quæ male olim suam
contumeliâ læsam patientiam experietur.

D

Se

Secedo ad aliud Tuarum Virtutum experimentum, Illustrissime, cui faventiam adjungo in bonas literas: Quod ipsum egregium sanè est, & ad illustrandum Tuæ gloriæ auctoramentum mirè efficax. Sub auspicijs enim Tuis, ò Literarum Stator ac Sospi-
tator maxime! honestissima studia deterso situ & squalore nitore suo pristino restituta sunt, eaq; potissimum artes, Te mode ante, effloruerunt, (quantum ob ferocientem Martem licuit,) quarum gloria Te in omne ævum sacratum demittet. Talis enim compendiaria ad Æternitatem via est, neve alio pacto felicius quam per Eruditorum humeros ac lacertos Heroës Tanti in Coelum assurgunt. Hocq; tam decet consummatissimum Principem, quam illud pessimorum ac degenerum est, seductoribus vitijs liberaliores Artes plusquam Vatiniano odio exules facere. Optimum hunc & liberalissimum Affectū Tuum, nulli Virtuti secundum, luculento exemplo Patriæ Athenæ largissimè se expertas contestantur. D: Petri, ceu vocant, ibidem Collegium cum capacissimo Auditorio infaustum fatum ex obsessione Arcis Pleissenburg passum erat, militari manu la-
cera-

ceratum, destructum, dirutum. Huius olim everſæ cathedræ a diſtrestaurator munificus, cui de integro reparandæ novo beneficio certam mulctæ cujusdam summam addixiſti, & notabilem ligni copiam. Non abſimili modo nec obſcure in hoc, ut in aliis præclaris auſibus retrò decantatis, inſecutus antè Te laudatiſſimorum Electorum exemplum: Friderici Bellicoſi præciquè, qvi diſſipatâ Pragenſi Academia Carolinâ, cum Muſæ hinc inde oberrarent exules, omni clementiæ & liberalitatis genere eas excepit, illarumq; gratiâ Lipſienſem Academiam ſolenni more, die 12. Novemb. Anni 1409. aperuit, Collegia ampla ex ædificari curavit, redditibus annuis egregiisq; ex ærario ſuo, agris, Villisq; conſtitutis. Neq; poſt Eundem bonis Literis ſui defuerunt cum Mœcenatibus Evergetæ. Succedere Fridericus III. ejus Frater Johannes; hujus Filius Johannes-Fridericus: Mauritius item, qvi duo Monachalia cœnobia, alterum Portæ ad Salam, Miſenæ alterum ad S. Afram conſtructum, in liberales humanitatis artiumq; officinas convertit. Succedaneus fuit huic Auguſtus, omnium ſcientiarum acuminofuſ in-
D 2 vesti-

vestigator; Christianus inde i. & ii^{du}. Tuæ Serenitatis Germanus, Pater, Avus & Patruus Magnus: omnes olim Electores, nunc Divi facti. Annalium compilatorum curæ remittimus, ne quid benefactorum Illorum in Artium studia ignoretur, aut subtrahatur Posteritati.

Sed nunc alia me Diva rapit in aliam nec morituram Tui Laudem. Hæc est illa in SS. Cæs^m Majestatem constantissima Fides semel stipulata, promissa, nec unquam blandis precibus, minis, hostili ve ferro interrupta. Non ignoratur, Romanos, Græcos, aliarumq; Gentium præstantes viros, aut ab Urbibus Provincijsve captis vel devictis, aut à felici quodam casu & eventu, sua tulisse cognomenta. Hinc Africanos, Asiaticos, Numidicos, Macedonicos, Achaicos, Isauricos, Numantinos, Coriolanos, Fidenates coluit Roma. Soteres suos, & Callinicos, & Nicanores, & Evergetas, & Polycrates mirata est Græcia. A magnarum rerum gloria[^] Magnus salutatus est Alexander apud Macedones, apud Romanos Pompejus, Asiaticos Mithridates, Judæos Herodes, Christianos Orientales Constantinus, Occidentales Carolus, Francos alius Caro-

ro-

rolus, Saxones VVitechindus Primus & Ot-
to, aliiq; complures. Aliud cognomen,
quod Sapientis est, sibi fecit Fridericus III;
Constantis & Boni Johannes; Magnanimi
Johannes Fridericus: Bellicosi Fridericus,
Tuæ Celsitut. Tritavus: Placidi Fridericus, A-
tavus: Animosi Albertus, Abavus: Pii Hen-
ricus, Proavus: Justi Augustus, Avus: Sapi-
entis Christianus I^{mus}, Pater: Liberalis Chri-
stianus II^{us}, Frater.

Quare ergo quo merito nomine Te, Du-
cum Christianissime, compellam ego? Quo
condecente Titulo mandandus mihi es? Eo-
dem sanè, quo Illustrissimi Generis Tui Pa-
rens, Illustrissimus itidem ac Celsissimus Prin-
ceps ac Dominus, Dn^o: Ludovicus, Land-
gravius Hassiæ, Comes in Cattimeliboco,
Deciã, Zigenhainiã & Niddã, &c. Divæ
recordationis, ob Fidei & honoris constanti-
am, DEO & Cæsari præstitam, celebratissi-
mus, ab Eâdem Cæsareâ Majestate dici me-
ruit: FIDELIS nimirum. Quis enim est,
quem sibi Cæsar junctissimo foederum nexu
sanctum habet? Tu Elector es. Qui inter
tot ruentis seculi clades, tot tristes casus,
(prout Sors suo more tumultuatur,) immota
E stetit

stetit sede ceu Saxum? Tu Saxoes. Quem
nec bella, tot hostium insultus, tot adversa
consilia, rumpendum pactum variè pallian-
tia, animum suã constantiã dimovere pote-
rant? Tu Septemvir es. Fidelises DEO, Fi-
delis Cæsari, Fidelis subditis.

Hæc omnino (ab ovo mihi repetenda
sunt :) illustrium facinorum à Majoribus Ti-
bi innata semina : Hunc Pietatis & Justitiæ
Zelum : Hanc optimam decentis severitatis
cū Clementiã temperaturam : Hanc Litera-
rum culturam : Hanc Fidei constantiam,
perfecte Princeps, qui non in Te rimatur mi-
raturq; , Tanto Duce, deperdito huic seculi
ævo in commune solatium nato, indignus ha-
betur. Et perfectior esses utiq; nisi Ger-
mania deploratissima conditio, miseris in-
finitis defuncta, & calamitosissimus Reipub-
licæ status, tot annis inglorio Marte quassa-
tus, obstitisset. At verò vel exinde quoq;
laudem laudi Tuæ coacervare studes, dum
cæteris Imperij Statibus jūctus grassanti huic
malo salutaribus mediis obviare intentus es.
Tardè mihi omnino persuadebitur, Ducem
esse alium, qui nihil sibi gloriosius duxerit,
quàm suo labore, suis cōsiliis, suo ærario, for-
tunas,

tunas, incolumitates, & requiem subditorum redimere. Nihil fanè illo fastigio, quo potitus es, Ensifer, digniùs suscipere potes, quàm si sopitis omnium Potestatum dissensionibus, (quod opus Consilio Tuo adjuvare potes:) Sacris simul & profanis firmam, fidam ac tutam Pacem restituere contendis. Quid enim magis necessarium Patriæ fessæ, exhaustæ, & nisi quiete foveatur, vix duraturæ? Arduum quidem est hoc Pacis opus, ulceratas occultis simulatibus mentes, & tumescencia hæc vulnera mitigare: Sed excelsa Merita & Heroicæ Virtutes Tuæ, Tuæq; insuper, cæterorumq; statuum Authoritas spem de felicissimo hujus negotij eventu reddunt securam. Accedit & induciaria illa quies, & Armistitij pactum, quod in perpetuum securitatis augurium mox transiturum confidimus. In periculosam quidem aleam Pax conjecta erat, (veniam dabis, Elector, piæ sollicitudini:) per tot diversas contentiones & Gravamina, quibus velut sidere aut tonitru tacti de actâ eâdem mœrebamus: Nunc verò meliora: Fortassis brevi, brevi fortassis in tuto erunt Vota nostra, eritq; in quo se frangat crudus dolor, in quo

post tot miserrima Saxoniae funera, totiusq; Germani Orbis exitia noviter firmatum salutis nostrae fulcrum subsidat & acquiescat.

Placeat, o placeat Tibi, placeat perpetuo haec servandi ars, nec in praecclaro hoc opere aut animus Tuus, aut fortuna, aut consilia lascentur. Te velut coelo dilapsum Reipublicae Christianae Palladium respicit Tua Cliens Saxonia: Tot millium in Te unum arrepta sunt vota, tot preces, obtestationes, Gemitus. Hi omnes genibus Tuis affusi dextras in salutem tuam coelitus intendunt, & ne a communi causa ultro desistas, orant obsecrantq;. Stant in praecipiti, vides! res nostrae, & in pejus quotidie dilabi videntur. In capita, in fortunas ingenuorum civium, prout libitum, saevitur. Ipsa anima, & quodcumq; solatium miseris adhuc reliquum est, vectigal est, raptatur, excutitur: cumq; jam nihil praeter inopia haberi sine damno possit, paupertas in vota transijt. Hinc & ipsimet incolae spontaneo suo exilio extorres fiunt. Hanc omnem insolentiam, exitium hoc & excidium corrigere, omniaq; in rectam semitam reducere Tuae curae erit: unde nos omnes futurorum fatorum seriem metimur, & ex laetabili

tabili Pacis successu securi status causas con-
cipimus. Erit olim inter Exempla dili-
gens hic Tuus labor, & in secula erit. Om-
nes nascendi forte pares meritis Tuis vincen-
tur, filebuntur. Omnes Titulos, Arcus, Tro-
phæa, Mausolea, Pyramides Tua Fama, quæ
etiam cum suo Fato luctabitur, superabit.
Æternum Tibi in Tuorum animis, ac nihil
temporibus debiturum monumentum exæ-
dificabis: Hoc Tibi statua, hoc Saxum erit
mansurum. Nuspiam enim Principis effi-
gies religiosius, ac in imo recessu cordium &
scrutinio pectoris subditorum habetur.

At enim quò feror? Quid tam optimum
Christianissimum quæ Ducem ego exhortor
& animo, quem ipsum ad hoc opus felix suus
instruit genius. Magis decenter convenit
mihi de reduce Natali bona & gratantia ver-
ba precari Principi tam Pio, Justo, CLEMENTI,
LITERARUM CULTORI, FIDELI, SUORUMQUE
CIVIUM AC PACIS AMANTISSIMO, ne & ipsus
met indignus & improbus dicar Heroicæ ejus
Virtutis æstimator.

Quare Salve, Elector, Salve: Et hoc quod
in præsentem officium Tibi solvo, hanc Pieta-
tem meam, quæ Tibi placere cupio, gratam
habe.

F

habe. Quanquam de me verear, ne divini-
marum Tuarum dotium fulgori mei sermo-
nis impolitiã quid detraxerim. Nunquam
exercui animum in tantarum rerum fa-
cundã & eruditã comprehensione. Autu-
mo quoq; , hanc etiam magnæ gloriæ esse in-
dicinam, quod Eæ veldifertissimum Rhetor-
em in dicendo vincant. Quod cum plu-
ribus eventurum ominer, malui eloquentiã,
quã gratitudinis ergã tantas Virtutes ne-
glectæ accusari. Hoc interim, Serenissime,
serenã quoq; mente tibi gratum habe, quod
ceu præcursorem aliud cultius & politius
fortassè insequetur, jam velut in infidi-
is latens, sui antecessoris fortunæ spe-
culator: Ut si hoc favorabile punctum tu-
rerit quorundam; (iniquè enim castigabor
ab insipidis nasutulis, cum auris malè tinni-
ens censoriam sibi portendat Virgulam:)
et illud profultet postmodum, ausum de se
quoq; , istius exemplo, benè sperare.

Salve ergò, salve, Saxo Septemviralis, deque
Tuo Natali nobiscum gaude. Renascere,
ô Amor & delitium Tuæ Gentis, novo te ar-
mã Spiritu, & recentes vires exere: Om-
nium enim salus ex Tuã est. Manifestum
hinc

hinc nobis exitium portenditur, si Deus au-
gustum & sacro sanctum hoc Caput non tue-
atur, in quo cum privatis publica verti ac pe-
riclitari liquet. Exulet a Te exitiosum So-
lis lumen in octava Cælesti domo, quod hoc
Mense Martio multorum Principum mor-
tis prænuncium est. Utq; anni hujus
currentis numerus divisim positus, $\frac{16}{47}$, com-
putando peractæ Vitæ Tuæ annos demon-
strat, huncq; iptum, quem ingrederis, indigi-
tat, dictum vulgo Climactericum Magnum:
 $\frac{16}{47}$ Ita & annorū Tuorum seriem, numerum
 $\frac{63}{63}$ istius anni, quo circa noctis auroram Luci
huic donatus es, exæquare precamur: Cujus
Zifræ simili modo bipartitō disjunctæ cente-
narium numerum exhibent. $\frac{15}{85}$ Plures ego
precarer sanè, nisi defecata hujus ætatis mihi
constarent incommoda. Hunc verò an-
num, ceu dixi, Climactericum Magnum,
quem hâc Luce salvus inis & incolumis, felici-
ter & infractis exi Viribus: Nec ad horæ
particulam artus tuos, & quicquid in Te est,
ejus divexet in nominalis malignitas, quo illo
prosperiter exacto, idem lætus exclamare
queas, quod olim Augustus Cæsar, annum
63. superans, Nepoti suo Cajo literis trans-
scri-

scripsit: Spero Te lætū & valentem celebrasse
quartum & Sexagesimum Natalem meum:
Nam, ut vides, climactera communem om-
nium Seniorum, tertium & Sexagesimum e-
vasimus.

Et velut Martius Mensis imprægnatam
terram novo quasi laborare facit Puerperio,
partumq; recentem diversi coloribus floscu-
lis exhibet, Arborum corticibus, ramis ac
frondibus omnes rugas, rubiginem ac situm,
hyemis injuriã ac vitio contractum, aufert
ac detrahit, succumq; iis vivacem infundit:
Parili modo Calendæ hæ Tuæ Martiæ om-
nia membra Tua non infringendarum viri-
um accessu indies magis ac magis refocil-
lent, conservent. Rivulorum istorum imper-
scrutabilis illa & salutaris Vis quos, plerosq;
Hæc Natali Luce Tuã anno retrogresso or-
tosajunt, arcanã suã influentiã in Te agat,
se in omnes nervos Tuos exerat, Teq; vigore
Juvenem Vegetum constituat, Solã canitie,
senio & annis Senem. Nobilis Ruta an-
nuã suã gaudeat Virtute, nec unquam plo-
clivi ætate flaccescens marcescat, usq; & usq;
vernans Viridisq; persistat, vel ipso Cupres-
so durabilior. In Radices hujus nullo tem-
pore

asse
um:
om-
m e-
tam
erio,
oscu-
s ac
um,
ffert
dit:
om-
viri-
ocil-
per-
osq;
o or-
gat,
gore
itie,
aan-
plo-
usq;
ref-
tem-
pore

pore Livore dax rabidos exacuet dentes, &
si quid tentet, tantum efficiat, quantum aper-
lutosum dorsum stipiti atterens. Per brevi,
paucosq; intra Menses Illa aliud illustre pro-
creet germen, quod Te, tot Nepotum Nep-
tiumve fortunatissimum Senem, Avum Sa-
lutet, (fortunet puerperium Deus!) olim,
auguror! post Te alterum Electoratus futu-
rum Successorem.

Nostri interim cultus & officij erit hoc,
summum largitorem & Archigubernum De-
um inde sinentibus suspiriis orare, quo om-
nia pro Patriæ salute, libertate, tranquillitate
cæpta felices exitus adsequi sinat: Tua beet
Consilia, dicta, facta omnia: Securum reddat
Imperium: Domum Tutam: Senatium fide-
lem: Populum probum: Urbes quietas: Ut
longa Tua Senectâ, inconcussa valetudine,
testituta tandem pace, ceu antehâc, sic &
deinceps PIUS, JUSTUS, CLEMENS, LI-
TERARUM CULTOR, FIDELIS, PACIS
AMANS ELECTOR audias, exultes, flo-
reas, triumphes: Tandemq; Vitæ & fe-
licitatis humanæ fatur confors fias
æternorum gaudiorum.

Tantum..

G

16 3478 R

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Tantum

G

ne



Faint, illegible text visible on the left edge of the book's spine.

ULB Halle 3
004 803 450



V D 17





H000
A. 2, 63.

V c
3478

Votum devotum

HERO

FESTO IN

SERENISSIM

PRIN

I

JOHAN

GIL DUC

& MONT. SA

Mareschall

Cæsa

DOMIN

ldq; Lipsiæ ex

Cathedra

ab ejus

fa

5^{to}

A



LIUM

MIQVE

EOUR.

CLIV.

P. ARCHI-

viralis :

C.

IMI,

s Principum

itatum

Va-

